



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 33. De impartibilibus quantitatis, ad tex. com. 111.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

Digestio xxiii. De impartibilibus

Impar-
tibili
ut in
tinuo.

Sane in continuo duo impartibilium genera considerantur. Quaedam extrema, velut termini quantitatis finite: alia in ipsa quantitate intermedia, velut diuersas illius partes copulanti: nempe in linea puncta, in superficie lineæ, in profunditate superficies, in tempore momenta. Has namque agnoscimus continui species, permanentes tres, quantumque fluentem ac subinde succedentem. Quæ in medio continuo considerantur, potestate, non actu, sunt. Eadem quippe illorum est ratio, quæ & partium. Nam si in linea, (de cæteris idem intelligas) essent actu puncta; cum non constet ex punctis tota, vt in 6. physie. lib. demonstratur; inter quælibet duo puncta esset linea; quæ actu pars lineæ totius esset punctis illis terminata. At partes non actu, sed potestate duntaxat inesse antea ostendimus. Et cum punctum impartibile quidpiam sit & extensione carens; vbi punctum adit, extensio non erit: ibi ergo interrupta fuerit extensio; neque continua erit linea, sed contiguus constabit partibus ad illud punctum ita terminatis, vt earum quælibet quemadmodum terminata est, sic in extremitate carentiam habeat extensionis, & ideo interruptionem: cum nil aliud terminus, quam extensionis carentiam in extrema re terminata significet. Sed & huiusmodi puncta aut finita essent, aut infinita; si infinita, cum inter quælibet duo puncta sit linea, innumerabiles essent actu vnus linearum partes: si vero finita, quis tandem eorum numerus? Neque enim vlla est ratio, cur tot potius, quam plura aut pauciora sint. Deinde cum inter quælibet illorum duo sit linea, non minus in hac, quam in priore tota, fuerint puncta; atque inter hæc rursum alia linea, aliaque puncta: & sic semper progrediemur; cumque nulla sit pars lineæ, in qua mihi non concederes puncta, totam tandem lineam ex punctis constare conficiam. Ergo potestate solum sunt hæc puncta; lineæque diuisione sunt actu. Quonia, n. separatur actus partes, ex finita ac terminata existunt, suosque terminos & extrema habent actu. Quamquam hæc diuisio non re ipsa modo, sed & mente & assignatione fieri potest; si aut mente cogitemus aut in continuo ostendamus partes, quæ diuidi re ipsa possint & separari. Ita vbique in linea dicuntur esse puncta; quoniam vbique diuidi potest diuisioneque fieri vbique puncta. Nunquam tamen duo puncta immediate assignabis; sed media semper intercedet linea.

Præter hæc verò impartibilia, quæ potestate reperiuntur, illa sunt actu & re ipsa, quæ in extremitatibus vel continui termini considerantur. Actum namque finitum est & terminatum: neque terminus illius partes aliqua diuidua esse potest; quoniam cum eius partis medietas vltra illam sit, ipsa non esset vltima. Sed indiuiduum quidpiam esse oportet. Reale tamen: tum quia re ipsa continuum terminatur: tum quia corpus locans & corpus locatum re ipsa se

A se contingunt; neque diuidua aliqua parte, quia se se vicissim penetrarent; verum indiuidua extremitate: atque vt realis contactus est, sic realis esse oportet extremitates, quibus se tangunt. Figura quoque quæ cum superficie est idem re, quidpiam reale significat: tum quia species sub genere qualitatis: tum quia realis terminus naturalis corporis: plurimæque figura termini existunt operationum artis. Denique si superficies immediatum est accidentium realium subiectum, vt habes in tex. 25. lib. 4. physie. si locus superficies esse definitur in tex. 41. si superficies species est quantitatis; nã reale quidpiam significet: idemque de impartibilibus cæteris iudicium fuerit. Præsertim cum de illis & mathematica disciplina & verò naturalis ipsa scientia tractent.

Verum ab ea quantitate, in qua reperiuntur, nequaquam re distinguuntur. Quippe diuisione sola, compressione, alioque locali motu, qui nullam rem nouam adfert, producentur. Et si rem quampiam separatam significet; possent nimirum diuina virtute se iungi seorsimque existere, punctum sine linea, linea sine superficie, superficies sine profunditate. Quod si heret, quantitas remoto termino fuerit sanè infinita; & impartibile illud per se consideratum sub aliquo entis genere ponendum esset: & cum ad quantitatem maxime pertinere videatur, omnis est quantitatis & extensionis expers. Plura eiusmodi alia consequerentur absurda, quæ sciens commemorare super se deo. Itaque quantitas vt hucusque & non vltius protenditur; & re ipsa & se ipsa terminatur; superficiesque extrema profunditatis existit terminus; vt quædam est latitudo profunditate carens, & ideo profunditate impartibilis. Nam vt quasi crassecit latitudo, profunditas fit; vt per se spectatur sola, impartibilis profunditate, terminus profunditatis est. Linea item superficiæ terminus, quatenus superficiæ latitudo non vltius dilatatur; nil aliud, quam latitudinem se ipsa finitam, significat. Cum enim secundum totam suam latitudinem finiatur, in eo sine ac termino longitudo quædam consideratur: quæ vt quasi dilatatur, superficies est; vt latitudine omni caret & sola est longitudo impartibilis latitudinè, linea dicitur & superficiæ terminus. Postremo punctum ipsa est linea vt in longitudine finitur. Et quoniam linea est longitudo sine latitudine, impartibilis prorsus est illius terminus, omnique extensione caret; & ab Euclide definitur, cuius nulla est pars, neque profunditatis, neque latitudinis, neque longitudinis. Et verissimè Themistius atque Simplicius impartibilia hæc omnia nil aliud, quam priuationem illius quantitatis, cuius termini sunt, significare prodiderunt. Est aliquid, inquit Themistius cap. 44. quod per se & si apte natura indiuiduum est & incompositum: at punctus & momentu non hoc modo indiuidua sunt, sed ex defectu & priuatione continui. Et Simplicius commentatio ad tex. 23. Puncta & omnino extrema ipsa, vt potè decidentia & hoc ipso, quia extrema sunt, ab ijs etiam destituta, quorum sunt extrema, in priuatione sunt ipsorum ter-

Impar-
tibili
non di-
singit
re a con-
tinuo.

Impar-
tibili
quid for-
maliter
sint.

Est. Linea item superficiæ terminus, quatenus superficiæ latitudo non vltius dilatatur; nil aliud, quam latitudinem se ipsa finitam, significat. Cum enim secundum totam suam latitudinem finiatur, in eo sine ac termino longitudo quædam consideratur: quæ vt quasi dilatatur, superficies est; vt latitudine omni caret & sola est longitudo impartibilis latitudinè, linea dicitur & superficiæ terminus. Postremo punctum ipsa est linea vt in longitudine finitur. Et quoniam linea est longitudo sine latitudine, impartibilis prorsus est illius terminus, omnique extensione caret; & ab Euclide definitur, cuius nulla est pars, neque profunditatis, neque latitudinis, neque longitudinis. Et verissimè Themistius atque Simplicius impartibilia hæc omnia nil aliud, quam priuationem illius quantitatis, cuius termini sunt, significare prodiderunt. Est aliquid, inquit Themistius cap. 44. quod per se & si apte natura indiuiduum est & incompositum: at punctus & momentu non hoc modo indiuidua sunt, sed ex defectu & priuatione continui. Et Simplicius commentatio ad tex. 23. Puncta & omnino extrema ipsa, vt potè decidentia & hoc ipso, quia extrema sunt, ab ijs etiam destituta, quorum sunt extrema, in priuatione sunt ipsorum ter-

Impar-
tibilium
duo ge-
nera.

minatorum & finitorum. Quod in commentario quoque tex. 25. prosequitur.
Præter extensionis tamen priuationem, in continuo positionem significant; tamquam id, quod in eo consideratur ut illius terminus. Et Aristoteles in tex. 12. lib. 5. Metaph. punctum hoc nomine ab unitate distinxit, quod hæc impartibilis absque positione sit, illud vero impartibile positionem habens in continuo; hoc est continuo alicui semper adiunctum. Quare duo in primis in impartibilibus hæc considerantur. Alterum est extensionis ac partibilitatis priuatio. Alterum, positio in extenso quopiam ea ipsa extensione, cuius illa priuationem significat. Qua positione fit, ut illorum quaedam extensionem aliquam habeant, superficies latitudinem, linea longitudinem; punctum omnino nullam.

COMMENTARIUS.

Hæc de horum impartibilium natura & conditione explicanda fuerunt, ut duo illa intelligerentur, quæ hoc loco à Philosopho affirmantur. Alterum, (quod postertus commemoratur) in omni continuo, tum permanenti, tum successiuo, aliquid esse impartibile, quod vnum facit continuum. Sermo enim est de impartilibus ijs, quæ in medio continuo considerantur: non de illis, quæ extremitatum termini sunt. Et enim illa, dum continui partes copulant, continuum faciunt vnum, quod impartibili animæ & impartibili tempore intelligatur. Alterum, hoc impartibile non esse à continuo separabile: tum quia est idem cum continuo, neque rem quamquam ab eo diuersam, quæ separari possit, sed extensionis potius priuationem, habet: tum quia intrinsicè positionem in eo significat. Neque in primo libro de posteriori analysi tex. 9. dubitauit idem Philosophus affirmare, punctum de linea dici per se primo modo; qui sanè continet ea, quæ separari nequeunt. Immo & lineam quasi fluxu puncti, superficiem fluxu lineæ, profunditatem fluxu superficiæ, ac tempus denique momenti fluxu fieri cogitamus, hisque naturam illorum exponimus.

Adiecit tamen (fortasse) propter mathematicas abstractiones, quæ & punctum à linea, & impartibilia cætera separant à continuo à quo re ipsa nequeunt separari. Quoniam hæc mathematicus, ut est in tex. 18. lib. 2. physic. non considerat ut naturalis corporis termini sunt.

Cæterum quoniam in his Philosophus non solum de illo impartibilis genere agit, quod in quantitate continua considerabatur; sed & de altero, quod impartibile forma dicebatur; de hoc quoque interpretemur hæc verba. Sanè materialis forma etsi cum materia extendatur, atque in alijs atque alijs partibus reperitur, vel etiam diuersæ interdum naturæ; ut in eterogeneo corpore; in omnibus tamè partibus impartibile quidpiam est, dum eadem natura formæ reperitur: eaque partibus omnibus unita-

tem tribuit atque omnes in vnum colligit. Est autem inseparabilis; quia materialis forma sine materia, ex qua fuit producta, esse non potest: quod in tex. 19. eiusdem lib. 2. physic. traditur. Dixit tamen (fortasse) tum quia cum ratione hinc separatur, non omnino & absolute inseparabilis est: tum quia in tex. 1. lib. 6. Metaph. eiusmodi naturales formas, quæ sunt in materia, plerumque, non semper, inseparabiles esse docuit. Non ignoro secus hunc locum ab alijs plerisque fuisse expositum. Sed magis accommodatam iudico hanc, quam feci, interpretationem.

TEXTVS.

Ἡ δὲ στήλη, καὶ τὰ πρὸ διαίρεσις, καὶ τὸ ἕνός ἀδιαιρέτου, ἀκλόουτος, ἀσέχωρ' ἢ ἐξήνορος: καὶ ἕκαστος ἰδίως ἐστὶ τῶν ἄλλων. αἰὼν, πρὸς τὸ καὶ αὐτὸ γινώσκουσα, ἢ τὸ μέγεθος. τὸ ἐκαστὸν γὰρ αὐτὸς γινώσκουσα.

Punctus verò omnisque diuisio est quod impartibile, tum manifestum sit ut priuatio. Et similis ratio in cæteris: ut quomodo malum cognoscit aut negat? Contrari enim quodam modo cognoscit.

COMMENTARIUS CXII.

Tertia hæc est impartibilis acceptio; quod in continuo ita partibus caret. & extensione, ut & actu & potestate, hoc est omnino sit impartibile. Eiusmodi punctus est in linea, linea in superficie, superficies in corpore, momentū in tempore. Absolutè quidè & omni modo punctus & momentū, nea verò & superficies, si nō ut quantitates quæpiam, altera longitudo, altera latitudo, considerentur: sed ut quantitatum termini, illa superficiæ, hæc corporis; illa latitudine, hæc profunditate, nec actu, nec potestate partibilis. Propterea punctum dixit & quod ita impartibile est, nempe linea & superficies quatenus termini sunt superficiæ aut profunditatis; sicut punctus lineæ & momentum temporis. Terminus enim terminatæ rei carentiam significat; punctus longitudinis, lineæ latitudinis, superficies profunditatis, & momentum temporis; & idè terminus ipsæ hęc diuisiones appellat; siue quod ex diuisione lineæ, superficiæ, profunditatis, & temporis, in eorum extremitatibus oriuntur: siue quod, ut habet Philoponus, illis diuisantur, in quorum medio accipiuntur: ut Simplicius significat, quod ea ratione sunt priuatio, quatenus à propria deficiunt dimensione. Punctum autem potissimum nominat, non impartibilia cætera; tum quod linea & superficies ut partibiles quantitates accipi potuissent: tum quod & superiori oratione & proxima voce longitudo

dinem nominasset; punctus verò in longitudine reperitur. Ex quo intelligas superioris commentarij interpretationem confirmari; qua impartibile, quod inesse in continuo dicebatur, punctum, lineam, superficiem, & momentum interpretati sumus.

Impartibilea quantitate ut intelligantur.
 At quoniam modo impartibilia hæc intelliguntur: Non respondit Philosophus impartibili tempore intelligi, & impartibili animæ. Quoniam si impartibili intelligitur id, quod continuū est & partes habet; multo magis intelligetur id, quod verè impartibile est: cum præsertim rem intelligendam, intellectiōnem, & tempus, similia semper esse & sibi respondere posuisset. Quare hanc responsionem tanquam ex superioribus manifestam prætermisit. Atque intelligi hæc dixit ut priuationem ex habitu, cuius priuatio est, intelligimus: nempe tenebras ex lumine, cæcitatem ex visu. Ut enim tenebras negatione luminis, visusque negatione cæcitatem; ita hæc impartibilia negatione quantitatis & extensionis, citius termini sunt, desinitur: punctumque dicimus in linea id esse, cuius nulla est pars; lineam verò longitudinem sine latitudine, & superficiem latitudinem sine profunditate. Nam & tenebras luminis in perspicuo & cæcitatem visus in oculo absentiam esse dicimus. Planè non ut negationem, sed ut priuationem cognoscimus: quoniam ut positionem significant in continuo, sic per illud velut per habitum cognosci debent. Itaque, ut Themistij utar verbis, intellectus cognoscit illa desiniturque, non primario adortu aut directo in ea incubitu (quia nullam formam à se obtinet, cui possit incumbere) sed sequestrando & præcedendo dimensionem & magnitudinem; atque illa ipsa, quorum limites extremi sunt.

Neque hæc aduersantur ijs, quæ Simplicius habet, impartibilia hæc non in mera priuatione versari, neque puram negationem significare; quia hæc priuatio ente semper aliquo nititur; nempe quantitate, cuius priuationem significat; sed propria ipsorum, quatenus impartibilia sunt, priuatio est. Quod sanè ostendit verè à nobis non multo antè desinitur esse, impartibilia hæc omnia nil aliud propria vi, quam illius quantitatis, cuius termini sunt, priuationem significare.

Quod tamen idem Themistius similitudinem intellectus, & sensus in hoc agnouit; quòd utraque facultas aliqua per se, aliqua negatione cognoscit; minus illi probabitur, qui probè perceperit ea, quæ de priuationum cognitione in 2. libro disputata fuerunt. Non enim potest sensus obiecti sui priuationem cognoscere, sed siue in sensilibus, siue in intellectibilibus priuationes considerentur, ad intellectum pertinent: quòd earum cognitio ratiocinationem aliquam habeat.

Porro ad explicandum quomodo impartibilia cognoscantur, ceteras adfert Philosophus priuationes, quæ ex suo contrario, hoc est ex habitu illis opposito cognoscuntur. Malum autem & nigrum commemorat. Malum priuationem boni significat; bonum autem conue-

A nientia earum rerum, quæ naturam quampiam continent; malumque conuenientia huius carentiam & defectum: qui tamen in aliqua natura consideratur. Nigrum autem vel, ut Simplicius & Philoponus inquit, tanquam tenebras nominauit, & album velut lumen; quòd album luminis plurimum habeat, nigrum minimum, atque opacitatis plurimum, velut tenebrosum. Quemadmodum & in tex. 22. lib. 12. Metaph. cum tria posuisset esse rerum omnium principia, formam, priuationem, & materiam; exemplum attulit albi, nigri, & superficiæ. Vel propterea ita loquutus est, quòd id, quòd deterius sit, comparatione melioris velut priuatio esse videtur. Sic enim tum eodem in loco, tum in tex. 18. prioris libri de ortu & interitu, calorem dixit esse ut formam, & frigus ut priuationem. Fortasse etiam duplici exemplo priuationem duplicem significare voluit, quarum vna formam nullam habet, sed solam negationem formæ in subiecto apto; altera verò deteriore formam, contrariumque deterius: Malumque prioris exemplum fuerit, nigrum posterioris. Nec temerè dixeris eum malo subiunxisse nigrum, ut quasi hoc modo argumentaretur; & ex priuationibus contrariam formam ponentibus ostenderet modum cognitionis priuationum simpliciter. Si enim illæ, quæ propriam formam & actum habent, quo cognosci possent; melius tamen & perfectius cognoscuntur ex meliore contraria forma; ut nigrum albo comparatum; multo magis ubi nulla est propria forma positua, cognitio tota ex opposita forma ducenda est, & omnino priuatio ex habitu cognoscetur.

B Genus porro hoc cognitionis, quò priuationem ex habitu cognoscimus, non legitimum, sed spurium appellasset Plato. Et Aristoteles quandam cognitionem dixit (contrario, inquit, quodam modo cognoscit) quoniam legitima, propria, & per se, cognitio est habitus, quem primario adortu ac directo incubitu cognoscimus; secundaria verò, minus perfecta, atque ex illa deducta, ea, quæ est priuationis.

Caterum tertium hoc impartibile, quòd nec actu nec potestate partibile dicitur, duplex nimirum est. Aut enim melius ijs, quæ aut actu aut potestate partibilia antea dicebantur; aut illis deterius. Melius est id, quòd natura quapiam constat, quæ nec partes habet, nec partitionis vllius est capax. Huiusmodi sunt separata formæ & immateriales spiritualesque naturæ. Deterius autem illud, quòd propriam nullam naturam habet, sed in priuatione versatur; ut punctus & quantitatis impartibilia, de quibus diximus. Vtrumque genus entium impartibile dicitur, tum actu, tum potestate; quòd quantitatem non habeat aut partes. Verum alia atque alia ratione. Illud, quòd à quantitate abiunctam naturam habeat impartibilem. Hoc, quòd quantitatis terminus & carentia sit. De posteriori solum hoc loco Philosophus dixit, quòd cum illo impartibili coniunctum sit, quòd in continuo considerabatur. Alterum præ-

C *Qualitas deteriorior melioris priuatione*
privatio nis cognitionis ex habitu
impartibile duplex

Qualitas deteriorior melioris priuatione

privatio nis cognitionis ex habitu

impartibile duplex

termisit, aut quod ad naturalem Philosophum non pertineret de abstractorum cognitione dicere; aut quod manifestum esset, entium illud genus non ut priuationem, sed ut habitum propria & conueniente illis intellectu intelligendum esse: si non in priuatione versatur, sed propriam velut habitum naturam habet. Et interim ex superioribus etiam constabat, hæc impartibili tempore & impartibili animæ, si quid aliud, intelligi. Certè Philoponus punctum & huiusmodi alia ut priuationes cognosci, propterea dictum fuisse putat, ut incorporea & diuina non priuatione, sed proprio habitu intelligeremus cognosci.

TEXTVS.

Δὲ ἢ δυνάμει εἶναι τὸ γνωσκόν, καὶ ἢ εἶναι αὐτὸ. εἰ δὲ τῆς αὐτῆς ἐνὶ ἑαυτῷ τῶν ἀπείρων, αὐτὸ ἑαυτὸ γνωσκόν, καὶ ἢ ἕκαστον ἑστὶ, καὶ ἢ ἕκαστον.

Oportet autem potestate esse, quod cognoscit; & vnum esse in ipso. si autem alicui cause non est contrarium, ipsa se ipsam cognoscit & est actus & separabilis.

COMMENTARIVS CXIII.

Singularem prorsus horum verborum interpretationem fecit Philoponus; philosophum arbitratus docere quemadmodum Deus & immateriales formæ, quæ & ipse actu & potestate impartibiles sunt, intelligantur. Primum enim, inquit ille, accipit, id, quod intelligit potestate esse id, quod intelligi debet. Deinde rem intelligendam intellectui, dum intelligitur, inesse. Sic enim legit (καὶ εἶναι ἐν αὐτῷ, & inesse in ipso. Ex quibus Deum & immaterialem formam cognosci colligit quinque modis, quos in theoria ad textum 21. exposuit; ut causam efficientem, ut finalem, ut carentem contrario, ut quod intelligit, & ut quod intelligitur: tametsi duos priores modos Philosophus nunc non commemorat, sed tres posteriores solos. Nam & carere contrario ait, quoniam transcendit omnia; & ipsum se ipsum intelligere, hoc est esse, & ut quod intelligit, & ut quod intelligitur. Quare & actu est & separabile, hoc est separatum.

Cæterum nulla hic Dei aut diuinorum mentio. Deinde hypothesis prior ad rem præsentem non est; immo illi aduersatur. Quippe si à diuinis procul omnis abest potestas: & illa se ipsa intelligunt, suntque id, quod intelligit, & id, quod intelligitur; profectò actu sunt, non potestate: & actu est, inquit Philosophus. Præterea admirabilis interpretatio videtur, quinque modis hæc intelligi, quorum duos non commemorari fatearis. Sanè immateriales hæc formæ impartibiles sunt, absolutaque doctrina postulabat modum, quo hoc quoque impartibilis genus in-

telligeretur. Sed ut in superiori diximus commentario, cum hoc quoque cum priori conueniat, quod nec actu nec potestate partibile sit; conuenio vsus Philosophus satis habuit dicere, illud, quod priuationem significat, ex opposito habitu cognosci; ut hoc alterum, quod propria natura velut habitu constat, intelligeretur per proprium habitum cognosci. Certum enim erat & manifestum, habitum se ipso cognosci posse. Quare cum impartibilia quædam significant habitum, alia priuationem; de solo posterioribus explicauit cognosci ex habitu; quia cognoscibile in se naturam non habent. De prioribus, nempe de continuo, & forma, tum materiali tum immateriali, solum affirmat impartibili ea intelligi.

Aliquid igitur ex antecedenti sermone colligi credendum est. Sed Auerroës mendosum sequitur textum minus Philosophi assequutus est mentem. Enim priora verba ita legens (de cognoscens potentia debet esse vnum in se oportere dixit intellectum, qui habitum & priuationem cognoscit, eandem esse virtutem in se. Et quoniam comprehendit priuationem comprehendendo se esse in potentia; habitum vero animaduertendo se esse actu; hunc omnino esse intellectum materialem, qui potestate interdum est, & interdum actu. Quod si quis intellectus sit, qui potestate non constat adhi contraria; eum nec intellectum priuationem, nec quidquam prorsus extra se, semperque actu futurum: Atque hunc esse intellectum agentem. At si priuatio ex habitu cognoscenda est; manifestum erat, eandem virtutem, quæ cognoscit habitum, priuationem quoque cognoscere: neque opus erat in hoc sermone protrahere. Quod autem secundo loco addidit de intellectu, qui careat potestate, à Themistio totum accepit: nisi quod Themistius id tum de agente intellectu tum maxime de Deo affirmat; Auerroës de solo agente loquitur.

Themistius igitur colligi putat propriam illius intellectus priuationum cognitionem esse, qui potestate interdum est, interdum actu. Si enim priuatio cognoscitur, quod habitus non cognoscatur; ab eo nimirum intellectu cognoscitur, qui habitum interdum non cognoscit, & ideo potestate existit. Nam & sensus si semper ageret, priuationem non comprehenderet: comprehendit autem tenebras aut silentium, dum lumen nullum aut sonum sentit. Si quispiam igitur sit intellectus potestatis expertus & semper intelligens, is nec malum nec priuationem intelligit. Cuiusmodi est intellectus exterior; agens inquit, & multo magis prima rerum causa Deus. Hic ab omni materia remotus seipsum semper intelligit, substantia actu, & proprie separatus: quippe qui ne vllam quidem potestatis permissionem habeat. Quare idem in eo sunt intellectus & intellectibile. Ita in illis verbis (si cui verò causæ contrarium non est) contrariam interpretatus est potestatem actui oppositam. Quocirca paucis verbis continebitur omonymia: si quidem paulo ante significabat habitum priuationi aduersantem; ubi dixit (contrario enim quodam modo cognoscit. Sed & verba illa præmisit Themistius) & vnum esse in ipso. Tertiò sensum accepit

Dianteinus

accepti obiecti sui priuationem cognoscere; agentemque intellectum ab eo, qui est potentate, diuersum esse, velut substantiam a materia penitus absolutam atque a rationali anima separatam, quae alio loco vera non esse ostendimus.

DIGRESSIO XXXIV.

Separatos intellectus alia extra se cognoscere.

PRÆTER diuinum autem intellectum esse alium potentatis omnium expertem, ut inter Peripateticos dici possit & auditum quorum princeps separatos omnes intellectus puros actus esse voluit: absolute tamen non ita est, solusque Deus est purus actus, potestas omnium & admittionis expertus. Neque illud admittendum est, separatos omnes intellectus nihil extra se intelligere. Nam & caelestes orbis, quos vertunt, intelligere eos oportet: & finem, propter quem vertunt: ac praesertim primam causam propter quam tanquam bonum & expectandum agunt. Quin etiam primam causam supremo orbi mouendo praefecit Philosophus: illum igitur cognoscit: nec minus inferiora omnia (vniuersas saltem naturas) propter quorum bonum & conseruationem mouet.

Nobis verò certum est, non vniuersas eam modò, naturas, sed res quoque singulas cognoscere: planèque omnia, quaecumque sunt & fiunt, vel etiam mala & priuationes. Neque hoc testimonium solum sacra tradiderunt, sed certa quoque persuasit ratio. Etenim Deus causa est efficiens rerum omnium, vel etiam singularum: omnèque ut produxit, ita conseruat: est autem causa per intellectum & cognoscens. Deinde quia seipsum perfecte cognoscit, virtutem quoque cognoscit suam; eaque omnia, ad quae attingere potest. Omnibus item fines constituit suos, & illa in eos dirigit, omniaque optime administrat: quae sapientis, ne dum intelligentis, opera sunt. Tum verò intellectus noster potentate est ad omnia, vel etiam singula, intelligenda; diuinus igitur intellectus, qui omnis est potentatis expertusque, actu semper respectu omnium, quae intelligere potest, actu semper omnia intuetur. Denique, ut Deus est intelligens, ita illius intellectum habere oportet ad quatuor sibi & conueniens obiectum: & si cuiusvis intellectum obiectum est omne Ens, multò magis omnium supremi & perfectissimi intellectus diuini. Neque Aristoteles dicit in tex. 51. libri 12. Metaph. melius esse quaedam non videre, ne diuinus intellectus vilescat. Omnis quippe cognitio quaedam est cognoscens perfectio. Atque illud de voluntate verius, quam de intellectu diceretur: quoniam volitione ad res voluntas trahitur, similisque illis efficiuntur: at intellectu res, quae intelliguntur, in intelligentem transferuntur illique assimilantur. Itaque, si vllum sit argumentum, Deum conficiet non cognoscere accipiendo ex rebus ipsis cognitionem, sed solam suam intueno

essentiam eamque comprehendendo ut est Ens per essentiam, entitatemque omnem & perfectionem continet. Cui nihil entitatis aut perfectionis addit quidquid in rebus creatis continetur: sed potius detrahit, quia quod est Deus infinite & absque limite, & ideo sine imperfectione vlla; ipsum limitatè, finitè, & cum imperfectionibus multis adiunctis est res creata. Quare si creatae omnes entitates & per-

A fectiones sumantur; tum ea, quae sunt, tum ea, quae esse possunt; solaque finitè ac limitatione dempta, quae non perfectionem aut entitatem, sed imperfectionem & non Ens significat; atque ex illis omnibus vnum Ens simplicissimum colligatur, illud erit Deus. Quoniam verò vnum quodque ens ut est in se, ita est aptum cognosci, diuina essentia, ut entitatis, ita & cognoscibilitatis rationem omnem continet, tum vniuersè, tum singulatim; atque intellectui diuino, qui perspicacitatis infinitè cum sit, rationem omnem entitatis & cognoscibilitatis penetraat, praeter propriam deitatis rationem res quoque omnes distinctissime representat. Atque etiam mala, quae obliquitates sunt à diuina regula, quatenus ab Idea boni, quae in Deo est, deficiunt per Ideam boni cognoscuntur.

Illud tamen intelligendum est, res singulas cognosci quidem à Deo per suam essentiam, at non absolute, verum per essentiam operantem & conseruantem, addito inquam diuinae voluntatis actu. Quoniam enim res singulae praeter essentiam addunt existentiam, siue actum, siue possibilem, & ideo essentia singularis euadit, quia extra suas causas produciuntur & existentiam accipiunt, si ad actum, cognitionis essentiae, accedat actus voluntatis, quo determinet Deus producere aut conseruare, vel certè produci essentiam illam posse videat, cognoscuntur statim singularia omnia, quae sub illa essentia sunt aut esse possunt. Ad singularia namque productio illa terminatur. Ex eodemque voluntatis actu fit, ut quaedam actu existentia hoc aut alio tempore, alia ut possibilis cognoscantur: quod alia constituerit omnino producere hoc aut illo tempore, alia solum produci posse cognouerit. Primum igitur plures essentiarum plurimum idea coniunguntur, tum substantia, tum accidentium, quae simul in rebus singulis continentur; tum accedente illa voluntatis determinatione singularia omnia cognoscuntur.

Hæc per digressionem, licet importunè fortasse, dicere nos coegit Themistius, ne silentibus nobis ac dissimulantibus authoritas hominis cuiquam fiduciam faceret. Praesertim si Philoponum consentientem videret, dum in theoria iam indicata Deum non cognoscere malum, eo scilicet argumento, persuadere conatus est, quia si cognosceret, & faceret: quod enim nouit id facit. Quasi verò innumeraabilia possibilis non cognoscat, quae faciet nunquam. Cognitio quippe ad intellectum pertinet, effectio ad voluntatem. Et quidem est scientia visionis ac simplicis intelligentiae approbationis: de quibus non est hoc loco dicendum pluribus. Quare ad Philosophi verba reuertamur, veriorèque illorum interpretationem quaeramus.

COMMENTARIVS.

Simplicius igitur Philosophum arbitratum impartibilium quantitatis cognitionem cum cognitione impartibilium formarum comparare: ut priorè illam inferioris notae ostendat esse. Quod potentate permitta sit, dum rei est, cui priuatio adiungitur: vbi altera purus est & sincerus. Quare quod priora impartibilia cognoscit, imperfectius est, quia quod posteriora intelligit: quippe potestati permittunt. Et ut obscure videre non est absolute videre, neque

SSSS